


Z. 14. 63^a

Ad Bibliothecam
Wesgenform

Gammeldt - 4

G. 9. 140.




Bibliothecae Coen. Bergensis

hoc volumen
opusculorum ad Historiam Magdeburgensem
et Bergensem spectantium

dicat donatq,

M. Jo. Frid. Aug. Kinderling,
Diaconus Calbensis,

A. cl^o l^o cc lxxxix.



[Faint, illegible handwritten text in a historical script, possibly Latin or German, covering the page.]



Continetur in hoc vol. sequentes libelli

- 1) Sim. Frid. Hahnii diploma foundationis Bergensis
Cœnobii, historicis adnotat. illustratum. Cum præf.
de instauratoribus artis diplomat. Mgdb. et Lips. 1710.
- 2) ~~de~~ ^{de} ~~antiquitatibus~~ ^{antiquitates} ~~magdeburgensis~~ ^{magdeburgensis} ~~archiepiscopatus~~ ^{archiepiscopatus}
~~magdeburgensis~~ ^{magdeburgensis}, quamplurimis nunquam antea editis
Ott. I. Diplomaticis, Bullisq; pontificiis distinctae. Halae
1711.
- 3) Privilegia der Stadt Magdeburg. Mgdb. 1669.
- 4) Vom Ursprung Nachrikt von dem Ursprung. S. Hieronymi
Otho und Brunos in der Mgdb. Mgdb. 1727.
- 5) Joh. Fried. Lagnab Progr. von der Verfassung der Mgdb. U.
L. f. in der Mgdb. Mgdb. 1723.
- 6) Joh. Gustav. Goldmanns Gedächtnis der in der Mgdb. U.
1567 gegründeten Universität. Gottaburg. Mgdb. 1767.
- 7) Christ. Frid. Herteli Diss. de Ottonis M. ecclesiae
prospiciendae conatu. Mgdb. 1736.
- 8) Steph. Car. Sibethi progr. de curae divinae de Ber-
gensibus documentis. Mgdb. 1740.
- 9) Dissertatio de Ursprung der Fragen: ob man nicht die
Adelbertus und Bruno in der Mgdb. Universität
verordnet? Mgdb. 1740.
- 10) Gust. Gottfr. Wunusens Prüfung einiger Erläuterungen
in der Mgdb. Universität. Mgdb. 1746.
- 11) Joh. Fried. Gäßel Gedächtnis der in der Mgdb. U.
Mgdb. 1746.
- 12) Xsti Knappi progr. de iis, quae eruditioribus adolescentibus
cauenda videntur. Mgdb. 1756.

- 13) Epistola Kuappi Turanib, dasd au nunc gutta Libentius de
 gnosticis et religioisversis facta nunc Galasibus trison.
 dasd nial galasau pag. Magd. 1757.
- 14) Epistola Joani Cuiladringbyficht, in via spon de fustigau,
 mitzigau designtau non jungau Carita zu lasau sind. Magd. 1763.
- 15) desfallsau Quirukan ubra di Disciplin. Magd. 1774.
- 16) desfallsau Fortschytung der Sabactungen ubra di Disciplin
 in offentlichu Erziehungsanstalten. Magd. 1775.
- 17) Jo. Frid. Aug. Kinderlingu progr. de Benedictinorum
 Monachorum in rem literariam meritis. Periculum I.
 Magd. 1770.
- 18) Eiusdem progr. eiusd. arg. Periculum II. Magd. 1771.

MEMORIAM
COENOBII BERGENSIS ANNO
DCCCCXL CONDITI
CIVES QUIDAM NOSTRÆ SCHOLÆ
DE
MERITIS PRINCIPVM
IN BERGAM
DICTVRI


DIE 27. SEPT. MDCCXL. RENOVAVNT.
CVI EXERCITATIONI
VT
SCHOLARVM PATRONI ET FAV-
TORES
INTERESSE HAUD GRAVENTVR
QVA DECET, OBSERVANTIA
ROGAT
SIMVLOVE
SINGVLARIA QVÆDAM CVRÆ DIVINÆ
DE BERGENSIBVS DOCUMENTA
COMMVNICAT
STEPHANVS CAROLVS SIBETH,
RECTOR PÆDAGOGII BERGENSIS.

MAGDEBVRGI,
LITTERIS CHRISTIANI LEBERECHT FABRI, PRIV. TYP.

8,

MEMORIAM
COENOBII BERGENSIS ANNO
DCCCLXII CONDITA
CIVES QUIDAM NOSTRE SCHOLAE
DE
MERITIS PRINCIPVM
IN BERGAM
DICTARI
DIE 27 SEPT. MDCCCLXII. RENOVAVIT
GUY K. RECHT. ANNO
ET
SCHOLARVM PATRONI ET PAT-
TORES
INTERESSE HAVD. GRAVAVITVR
QVAE DECEIT OBSERVAVIT
EODAT
SIMVLQVE
SINGVLARIA QVADAM CVR. DIVINE
DE BERGENSIVS DOCUMENTA
COMMVNICAT
STEPHANVS CAROLVS SIBETH
RECTOR PRAEDICORVM BERGENSIS
MAGDEBYTGI
LATINVS CHRISTIANI FERRECHT. FABRI. PAV. TYP.





§. I.

Miraris credo, Lector benevole, qui fiat, vt, quamuis quatuor abhinc annos coenobii nostri primordia grata mente recoluerimus: hoc tamen anno eorundem memoriam solenniori quadam ratione renouemus. Verum, quicumque consilii nostri rationes lance, vt par est, æquiori ponderauerit, mirari fortasse desinet. Cum enim in re nongentorum fere annorum interuallo a nostra tempestate remota, mirifice inter se scriptores (a) dissentiant: vicio nobis iustus veritatis arbiter nullus dabit, ei nos potissimum sententiæ in re tot dubiis implicata esse suffragatos, quæ non mediam tantum viam tenet, sed cum reliquis quoque percommode potest conciliari.

(a) Sex de originis nostri cœnobii anno exstant opiniones, quarum communior annum definit a Christo nato 937. confer. Chronic. Bergens. sub init. Chronographus Saxo in Leibnitz. Accessionibus historicis sequentem ponit. Trithemius constituit in Annal. Hirsaug. Annum 940. Ditmarus vero ab his adeo discrepat, vt ad annum 951. regrediatur, cui proxime accedunt Marianus Scotus, qui a. 956. determinat, & Sigebert. Gemblacensis a quo nostri cœnobii auspicii annus adsignatur 957. Quas diuersas inter se si

A 2

com-

comparauerimus opiniones, liquebit, tres posteriores ad translationem coenobii in hunc montem apprime quadrare & noua, quae hac occasione ab Ottone in illud sunt collata beneficia spectare. Prioribus vero accuratius examinatis, meo quidem iudicio, Trithemii reliquis est praeferenda; in se enim est rerum historicarum scriptor grauissimus; fuit quoque Bursfeldensi (de qua mox plura dicentur) vnioni addictus; Cui adiungo veri esse simillimum, quod Trithemius annum, quo consummatum fuit coenobium & publice inauguratum, significauerit; cum reliqui contra tempus, quo Augustissimus Otto primum eius iecit fundamentum, indicarunt.

§. II.

Finge ergo huic, cui subscribimus sententia, non dicam fidem omnibus numeris absolutam, at maiorem tamen probabilitatem esse tribuendam: quomodo, quaeso & rationis praescripto & sacrarum litterarum conuenientius tanta rei potest refricari memoria, quam decenti eorum recordatione, quibus singularia quaedam admiranda prouidi Numinis de nostro coenobio cura documenta nobis ob oculos ponuntur? His partibus ut defungamur, ea sistemus gubernationis diuinae monumenta, quibus & ad grates indulgentissimo Numini persoluendas possumus inflammari &, ut insequenti quoque tempore ipsius nos permittamus arbitrio, quam efficacissime commoueri.

§. III.

Temporis ut ordinem sequamur, singularem quamdam summi omnium rerum moderatoris in nos indulgentiam ipsa maiorum nostrorum ex vrbe in hunc montem migratio declarat. Concesserat ipsis Augustissimus Otto suum in vrbe vicina palatium, eoque Annonem cum duodecim monachorum pietatis & litterarum laude florentium colonia deducendum curauerat. At maius quoddam opus, Archiepiscopatum
Mag-

Magdeburgensem puto, meditantem poenitentia prope subire videbatur. Quo facto, nisi nobis diuina gubernatio prospexisset, periculum erat, ne, quod vix frondes emittere coeperat, pietatis doctrinaeque seminarium, primo statim incremento extingueretur; cui autem periculo tam benigne tamque sapienter diuina prouidentia occurrit, vt locum quamuis maiores nostri inuiti admodum mutauerint; nihilo tamen minus & maiorem Ottonis munificentiam & alia multa inde emolumenta consecuti esse videantur. Ecquis enim vltro non cognoscit, quam patentem religioni propagandæ campum, quam tranquillos litteris excolendis recessus, quam commodam economiæ opportunitatem hæc cœnobii nostri mutatio subministrarit?

§. IV.

Benignissima Optimi Numinis tutela nouo hocce in loco annos fere 52. saluum & incolume cœnobium nostrum serua- uerat, cum, qua est in distribuendis mortalium sortibus sapi- entia, permitteret, vt magna huius ædificii pars vehementissi- mo nocte suborto incendio conflagraret. (b) Quod quamuis diuinæ in nos vigilantia videatur refragari: deprehendimus tamen in funestissima hacce calamitate gubernationis diuinæ vestigia. Non enim opportune tantum nobis subuentum est, sed tam liberaliter omnes omnis generis homines nobis sunt opitulati, vt tantum detrimentum breui tempore potuerit re- farciri. En præsentissimum summi Numinis in calamitosissi- mo hocce casu auxilium! quod vero ex eo non minus luculen- ter apparet, quod, quantum quidem ex annalibus nostris potui expiscari, ab eo tempore ad hunc vsque diem ab eius- modi clade intactos nos & inuiolatos conseruauit.

(b) Absente, qui tum moderabatur Bergam, Siegfride Comite Walbecensi ignis subito in dormitorio tanta vi exarserat, vt vnum

quoque ex monachis ibidem dormientibus consumeret. conf.
 Chronic. Bergens. p. 6.

§. V.

Restaurato, quod importatum erat incendio damno, interna quædam pestilentia eoque periculosior ingruerat. Præfules enim non minus, quam ciues bergenses adeo a sanctitate maiorum degenerauerant, vt antiquæ illius integritatis, temperantiæ & diligentia nec vola nec vestigium appareret. Profusissima præfulum (c) quorundam munificentia, fastu & luxuria pretiosissima quæque quid? quod optimæ possessiones cœnobii aut oppignerabantur aut diuendebantur; monachorum petulantia, mollities & summa morum dissolutio adeo inualuerat, vt nulla vi coerceri posset, & acerbissimum, quo erant inflammati in se inuicem odium, inuidia & contentiones præsentissimam cœnobio nostro ruinam minitabantur. Sed Dominus prouidebat. Archiepiscoporum enim Magdeburgensium mentes ita flexit, vt disciplinam primo Cluniacensem, (d) post vero, cum ea exolescere cœpisset, Bursfeldensem, (e) reluctantis licet monachis, introducendam iuberent. Quibus tunc remediis, quæ hucusque nulla fuerat vitæ disciplina, ex parte fuit restituta & cœnobium ære alieno, quo, vix dici potest, quam laborauerit, maxima ex parte fuit liberatum.

(c) Recensentur a Chronic. Bergens. sequentes pessimæ notæ Præfules Bernhardus II. Zlauco & Albertus, qui cum a fratre Archiepiscopo aliquando interrogatus, quid absumtis bonis omnibus manducaturus esset, respondisse fertur: *Deficientibus esculentis monachos se esse deuoraturum.*

(d) Cluniacensis disciplina monasterio in Burgundia sito & nomen & originem debet, de qua Mabill. in Annalibus Benedictin. T. III. p. 390. *Cluniacense monasterium religione, disciplina, seueritate, fratrum numero cætu toto pæne orbe celeberrimum euasit.* Et paulo post: *Id Gallia, Germania totaque demum Europa testatur plena*

plena monasteriis Cluniacensium aut recens conditis aut restitutis.
 Hæc, de qua dixi, disciplina sub regimine Abbatis Hildeboldi Bergæ introducta est. conf. Chronic. Bergens. p. 13.

- (e) Postquam aliquot seculorum decursu Cluniacensis fere euauerat in cenobiis feueritas, Bursfeldensis nutantem monachorum disciplinam stabiliuit. Accepta hæc refertur Ioanni Abbati Monasterii Bursfeldensis in terris Brunsvicensibus positi, de qua Trithemius in Annalibus Hirsaugiens. T. II. p. 352. *Audientes tam seculares quam spirituales per Germaniam totam Principes deuotam atque sanctissimam Bursfeldensium monachorum conuersationem, maxime per Saxoniam, omnia subiecta sibi monasteria nostri ordinis ad imitationem eorum sanctam fecerunt reformari.* Subiungit postea p. 354. cenobiorum in hunc modum emendatorum numerum, qui ad nonaginta vsque excreuit. Ad hanc Bursfeldensium normam Abbas Hermannus nostrum cenobium conformauit, qui hunc in finem sex secum monachos Bursfelda adduxerat. Chronic. Bergens. p. 41.

§. VI.

Dispulsis hisce diuino numine procellis lætior affulgebat bergensibus serenitas; perdurauerat autem illa centum vix annos, quum tam exitiosa, quantam nunquam antea subierant, ingrauelceret tempestas. Magdeburgensium enim odium, auaritia & crudelitas adeo sæuiebat in nostrum cœnobium, vt templum, ades, agros, pecora omnesque eius possessiones inhumana quadam barbarie, concremarent, deuastarent & popularentur. (f) Berga igitur nostra erat hac tempestate memorabile iustitiæ diuinæ spectaculum, sed non minus infinitæ benignitatis. Iusto enim tempore iustum constituit hostium immanitati modum & vterius eos in nos inuehi non passus est, quam prouidentissimo ipsius consilio est visum. O admirandum iustitiæ benignitatisque diuinæ temperamentum! No-
 uimus quidem reuoluto ferme integri seculi interuallo similem
 non

non a vicinis solum Magdeburgensibus, sed externis quoque hostibus vim nobis esse intentatam, ast & eam diuinis auspiciis feliciter esse propulsatam nouimus. Quid? ad hunc usque diem eorum, qui nobis infidias struxerunt, machinationes potentissime non minus quam sapientissime declinauit.

(f) Damnum, quod eo tempore a Magdeburgensibus nobis est inuectum, 3159. æstimatur florenis, non habita ratione ruinæ, quam ædificiis tum cenobii ipsius, tum prædiorum intulisse constat. Similis fere ipsi fors obtigit anno 1630. Appropinquante enim Imperatoris exercitu saluis tantum muris relictis, reliqua a Magdeburgensibus destructa esse relatum legimus.

§. VII.

Quanta cenobium nostrum benignitate sit complexus Deus optimus maximus, in acerbissimis quoque calamitatibus quam clarissime ex antecedentibus patet. Oportet ergo ut lætiora adferamus gubernationis diuinæ argumenta, quo ex aduersis æque ac secundis euentibus, quam bene nobis uoluerit, possit diiudicari. In his primo loco ut recenseam veritatis euangelicæ restitutionem, est necesse. Nostros enim maiores in primis romanensi seruituti emancipatos inter primos (g) huius regionis ciues in aliam Euangelii libertatem vindicauit; nostros est dignatus, ut in suo cenobio noua obscuratæ veritati lux accenderetur; nostros, quum de nouo tyrannidis romanæ iugo subiicerentur; eo quam felicissime liberauit (h) & quæ eius est singularis in nos gratia, hoc purissimum doctrinæ cœlestis lumen nobis non conseruauit solum, sed in dies magis magisque exsplendescere iussit.

(g) Constat inter omnes, Bergenses duce Vnero Abbate de Bergensibus immortaliter merito duos annos ante, quam in templo Cathedrali Magdeburgensi id factum est, nomen veritati dedisse a romanensibus sordibus repurgatæ, nimirum anno 1565. conf. Chronic. Bergens. 62.

(h) Oc-

(h) Occupato nostro a Tillio cenobio præfectus, aut potius obtrusus est Archiepiscopus Pragensis Comes Harrach. Congregatio autem Bursfeldensis apud Imperatorem precibus suis sæpius iteratis tantum valuit, vt nouus a dicta congregatione Abbas Camphusius fuerit electus; qui cum monachorum huius ordinis familia cenobium nostrum sibi vindicasset, erroresque romanenses, cui nuncium maiores remiserant, reuocasset, nisi prouidentissimum Numen nouos hosce colonos ipsa ea, de qua ante dictum est, ædificiorum omnium deuastatione arcuisset. Sæpius quidem post hæc tempore belli tricenalis illud repetierunt; verum pace, quæ consequeretur, Pragensi omnis illis spes decollauit.

§. VIII.

His adiungimus merito singularem, quam Numen optimum habuit scholæ nostræ rationem. Quam sapienter illi antiquissimis temporibus haud longe post cenobium nostrum conditum prospexerit, alia occasione est commonstratum. Non minori profecto gratia musas bergenses ab eo tempore est profecutus, quo ministerio Vneri sacra nostra emendanda curauit. Hac enim tempestate celeberrima quondam litterarum scientiarumque officina, tot secula miserrime neglecta & quasi sepulta reuiuiscere cœpit. Probe intelligebat Vnerus & qui eum exceperunt Præsules, quam præclare scholæ nostræ restauratio Ottonis, Augustissimi nostri Auctoris voluntati respondeat, & quam optati inde in rem omnem & sacram & ciuilem possint redundare fructus. Hinc nihil prius haberunt nihilque posterius, quam, vt intermissam longo admodum temporis spatio iuuentutis institutionem reuocarent, reuocatamque, quacunque ratione fieri potuit, & consilio & sumptibus mascule adiuuarent.

B

§. IX.

§. IX.

Quodsi horum omnium, quæ exposuimus, summam quasi subducamus: elucet alma summi Numinis prouidentia, qua Bergam condidit, defendit & conseruauit, ex ipsa eius in hunc montem translatione, ex incendio permissio quidem sed iusto tempore interstincto & post hæc semper auerso, ex correctis Præfulum & monachorum moribus corruptissimis, ex duplici eius, postquam miserrime destructum erat, restitutione, ex euangelicæ veritatis in illo mirabili propagatione & tandem ex scholæ fatis & tristioribus & latissimis, quæ post sunt consecuta. Hisce prouidentia diuinæ documentis septimum non minoris momenti potuisset commode subiungi in eo mirifice conspicuum, quod tot Principum animos Bergensibus conciliauit. Verum, quum hoc argumentum exercitationi oratoriæ reseruauerimus, omnes Scholarum Patronos ac Fautores ea, qua decet, submissione impense rogamus, velint, qua sunt in musas bergenses propensione, ciues sequentes Pædagogii nostri de hoc argumento tam dicturos, quam inter se collocuturos, sua præsentia cohonestare.

GEORGIUS LVDOVICVS, COMES ERBACENSIS,
oratione germanica audientium fauorem, reliquorum nomine, expetit.

IOANNES FRIDERICVS THINKEL, Wollmersl-Magdeb. Oda Sapphica prouidentiam diuinam in conciliandis principum animis conspicuam commonstrat.

CHRISTOPHORVS FRIDERICVS CLERMONT, Seehuf-Magdeb. Ottonis I. in Cœnobium Bergense merita oratione latina persequitur.

CARO.

CAROLVS CHRISTOPHORVS BVRGHOF, Aconenf. Magd. Ottonis II. III. & Henrici II. munificentiam erga Bergenses oratione germanica renouat.

FRIDERICVS AVGVSTVS SCHWARZ, Magd. *CAROLVS OTTO PLESSMANN*, Magd. & *IOANNES LVDOVICVS WALTHER*, Erxl. Pal-March. colloquium germanicum de eis, quæ Bergenses Pontificibus romanis debent, instituunt.

MICHAEL ZACHARIAS GOTTFRIED, Magd. Archiepiscoporum Magdeburgensium gratiam Bergæ exhibitam oratione latina recenset.

IOANNES CHRISTIANVS IOSEPHVS ROHDE, Magd. *CHRISTOPHORVS IOANNES HENRICVS SIBETH*, Ruffus, *FRIDERICVS GVILIELMVS MEYER*, Gueftphalus, de eo inter se lingua patria colloquuntur, quod Bergenses Friderico Guilielmo Magno acceptum feruant.


IOANNES GEORGIVS IANY, Briga-Silef. oratione gallica Friderici I. Regis Borussiae clementiam erga Bergense cœnobium effert.

GODOFREDVS GVILIELMVS WEGENER, Burgenfis, carmine heroico specimina quadam gratiæ Friderici Guilielmi, Regis Borussiae, in nostrum cœnobium exponit.

FRANCISCVS CAROLVS, COMES ERBACENSIS,
Gratiam Friderici II. clementissimi nostri Regis vt omni-
bus suis ciuibus, sic bergensibus declaratam, oratione
germanica, veneratur.

IOANNES GOTTLOB MVTHMANN, Teschn. Siles.
carmine germanico Musas Bergenses clementiæ Regis
commendat.

IOANNES GEORGIUS SVCCRO, Regiom. Neo-March.
eis, qui vltimum nobis vale dixerunt, *THINKEL,*
MVTHMANN, CLERMONT, IANZ, GOTT-
FRIED, WEGENER, BURGHOF gratulatur &
auditoribus, quas decet, gratias perfoluit.



AB: 153702


ULB Halle 3
003 265 498



sb.

VO 17





Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

MEMORIAM
COENOBII BERGENSIS ANNO
DCCCCXL CONDITI
CIVES QUIDAM NOSTRÆ SCHOLÆ
DE
MERITIS PRINCIPVM
IN BERGAM
DICTVRI

DIE 27. SEPT. MDCCXL. RENOVAVNT.
CVI EXERCITATIONI

VT
SCHOLARVM PATRONI ET FAV-
TORES

INTERESSE HAUD GRAVENTVR
QVA DECET, OBSERVANTIA
ROGAT

SIMVLOVE
SINGVLARIA QVÆDAM CVRÆ DIVINÆ
DE BERGENSIBVS DOCUMENTA
COMMVNICAT

STEPHANVS CAROLVS SIBETH,
RECTOR PÆDAGOGII BERGENSIS.

MAGDEBVRGI,
LITTERIS CHRISTIANI LEBERECHE FABRI, PRIV. TYP.

8